

Cap. II. *de contingis*. (1) Declarans quid significet clausula apposta in judicialibus commissionibus, quae sunt a Principe, vel a iure procedatur simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicii. Determinat de substantia iudicii summarii requiriti 1. Querelam per accusationem, denunciationem, aut inquisitionem propositam. 2. Citationem rei. 3. Probationem causae, aut delicti, quae incumbit cuiusque querelanti. 4. Defensionem rei. 5. Prolationem sententiae in scriptis latae. 6. Juramentum de calumnia, vel malitia, sive de veritate dicenda. 7. Inferionem in actis petitionis actoris, seu querelae accusantis scripto, aut verbo propositae.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANN. XXII. Lib. V. sub eodem Titulo, & ibi Tit. XIV. continens V. Capitula.

Cap. I. *Quorundam*. (2) Declarat relinquendum esse iudicio superiorum de qua vilitate debeant esse indumenta Fratrum minorum, precipiens sub poena excommunicationis illis obedire, & reprehendens Fratres, qui pro arbitrio suo habitus breves, strictos, & novitatis plenos portabant: qui transgressores regulae non dicuntur, si in hoc Superioribus obsequantur: Superiores arbitrari posse, an habenda sint granaria, & cellaria pro necessariis ad victum colligendis.

Concordat cap. Exili & Exivi supra. Cap. I. *Quia*. (3) Praemisso qualiter glossantes d. cap. Exili, excommunicationem ipso facto, non obstantibus quibuscumque privilegiis, incurrunt, illam usque ad Sedis Apost. benedictum suspendit.

(1) Item. (2) Item. XXXI. Item. (3) Item.

Cap. III. *Ad conditorem*. (4) Dominium rerum, quae perveniunt ad Fratres Minores retentum ab Ecclesia Romana simplici usu facti Fratribus ipsis reservato, in Constit. Exili supra 3. Pontifex refutat; prohibens eos non posse habere in re aliqua simplicem usum facti. Et statuit, quod de cetero nullum jus, nullamque dominium habeat Ecclesia Romana in rebus usu consumptibilibus, quae impoſitorum conferuntur, vel offeruntur ipsis Fratribus.

Cap. IV. *Cum inter*. (5) Opinio, quae asserit Christum, & ejus discipulos nihil habuisse, & in his, quae habuerunt nullum jus eis fuisse, erronea est, & haeretica.

Cap. V. *Quia*. (6) Reprobatur opinio praesumentium impugnare Constitutiones ejusdem Joann. XXII. *Ad conditorem* 3. & *Cum inter* 4. supra. Et declarantur tanquam haeretici, & Romanae Ecclesiae rebelles, ab omnibus evitandi, si deinceps scienter verbo, vel scripto defendere, vel approbare contra illas praesumpserint.

In hac Constit. agitur de materia clauvium.

DE REGULIS JURIS.

TITULUS XII. continens XI. Regulas. Quas, & alias LXXXVIII. continens in Sexto hoc deo. libro, & titulo vide in Auctore una cum earumdem explicatione in fine secunda partis.

(4) Item. (5) Item. (6) Item.



ELEN-

ELENCHUS I

Decretalium expresse, vel tacite correctarum a posterioribus Decretalibus, partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione,

Servato Ordine Titulorum, ac Capitulorum in unoquoque Libro.

Lib. I. Tit. III. de Rescriptis.

I. Decretali Alex. III. relata in cap. Ex parte 2. praecipiens falsificantes litteras apostolicas a solo Papa esse iudicandum, & ideo ad eum ab Ordinariis esse mittendum vincit, tacite derogatum est ab Innoc. III. statuente cap. Ad falsariorum 7. de crim. fals. puniendum esse a suo Ordinario, dummodo non sit ab hoc carceratus de mandato Papae. Vide Fagn. in cit. c. 7. n. 65.

II. Decretalis Innocent. III. relata in cap. Nonnulli 28. decernentis, ne per litteras apostolicas, quibus causae iudicandae committuntur, quisquam trahatur ultra duas dietas extra suam diocesim, nisi vel constet has litteras de partium consensu fuisse impetratas, vel hinc Decretali expresse in istis litteris fuisse derogatum, restricta est a Bonifac. VIII. cap. Statutum 11. §§. Cum vero, & Cum autem, & cap. Hac Constitutione 15. §. Conservatores de Offic. & Potest. Jud. deleg. in 6. statuente, ne committantur ultra unam dietam a finibus diocesis computandam, & a finibus diocesis, rei, si sit diversae diocesis ab illa actoris. Pro dicta intellige non legalem, id est continentem viginti milliaria, sed vulgarem secundum consuetudinem regionis. Fagnan. in cit. cap. Nonnulli n. 16. Vide Elencho VI. n. XXII.

Tit. IV. De Electione.

III. Decretali Alex. III. relata in cap. Cum in cunctis 7. decernentis 1. §. Inferiora ne ulli conferatur Ecclesia parochialis, nisi xxv. annum attigerit, prohibendo tantum, non irritando collationem. 2. ut si absque legitimo impedimento, elapso anno post illius possessionem non fuerit ordinatus sacerdos, prius monendus sit, quatenus infra annum ordinetur; & si post monitionem fuerit contumax, privandus sit per sententiam, expresse derogatum est a Greg. X. cap. Licet canon 14. hoc eod. tit. in 6. irritante huiusmodi collationem, & declarante, sic provisum non monendum, sed esse ipso iure privatum.

IV. Decretalis ejusdem relata in cap. Nosti 9. simpliciter prohibentis Electo administrationem ante confirmationem, ampliata est a Greg. X. ut n. seq.

V. Decretalis Innoc. III. relata in cap. Qualiter 17. statuente Electum se immiscerentem in administrationem praelaturae ante confirmationem esse privandum per sententiam jure sibi ex electione quaesito, tacite ampliata est a Greg. X. cap. Avaritia 5. hoc eod. tit. in 6. declarante esse ipso iure privatum, sive administraret per se, sive per alium.

Eod. tit. in 6.

VI. Decretali Greg. X. relata in cap. Licet canon 14. statuente ut assumpti ad Ecclesiam parochialem infra annum ad Sacerdotium promoveantur, & per se resident sub poena, si infra id tempus non promoti fuerint, privationis ipso facto parochiae absque ulla monitione, tacite derogatum est a Bonifac. VIII. cap. Cum ex eo 34. hoc eod. tit. tribuente Episcopis, aliisque superioribus facultatem dispensandi cum istis, ne usque ad septennium litterarum studio insistentes promoveri teneantur ad sacerdotium, promoveri tamen debent intra annum ad subdiaconatum, sub eadem poena a Gregorio statuta: sicut etiam eandem poenam incurunt, si elapso septennio ad Diaconatum, & Pres-

byteratum se non fecerint promoveri. Verum post Concil. Trident. Episcopi hac facultate uti nequeunt ex decretis Congreg. Conc. a me relatis in Addition. lib. III. tit. IV. post n. 16.

Eidem Decretali statenti promoueri ad Ecclesiam parochialem ea ipso iure privatum esse, nulla etiam praemissa monitione, nisi infra annum se fecerit ad sacerdotium promoveri, expresse addita est exceptio ab eodem Bonif. cap. Statutum 22. hoc eod. tit. quo ad parochum Ecclesiae collegiatae, declarante huiusmodi penam ad hunc non extendi, sed privandum esse per sententiam juxta cit. cap. Cum in cunctis 7. §. Inferiora.

VII. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. Si Religiosus 27. statuente superiorem posse concedere suo Religioso licentiam consentiendi electioni de se factae ad praelaturam extra proprium monasterium, abrogata est a Clem. V. decernente cap. Cum rationi 1. hoc eod. tit. in Clementin. hanc electionem nullius esse firmitatis, ut n. seq.

VIII. Decretali ejusdem Bonif. relata in cap. Nullus 28. statuente posse Religiosum professum eligi in superiorem alterius Ordinis, derogatum est ab eodem Clem. V. ut supra.

Tit. XI. De temporibus Ordinationis.

IX. Decretali Alex. III. relata in cap. Ex tenore 4. permittentis Clerico post poenitentiam ministrare in Ordine suscepto, & ad superiorem promoveri posse, non obstante quocumque delicto occulto, quod si alias esset publicum, ad alios Ordines promoveri nequiret, & degradationem mereretur, tacite derogatum est, seu potius declarata a Greg. IX. cap. Quaesitum 17. hoc eod. tit. excipiente occultum crimen homicidii, ob quod & a susceptis, & a suscipiendis prohibetur. Vide Elencho II. n. XXIII.

X. Decretali Urbani III. relata in cap. Cum quidam 8. statuente ordinatum extra tempora a iure statuta tandiu suspensum esse, donec a Sede Apostol. dispensationem obtineat, derogatum est a Greg. IX. cap. Consultationi 16. hoc eod. tit. declarante dispensari posse ab Episcopo, poenitentia peracta ut in suscipiendis ministraret. Et quamvis ex Constit. Pii II. Cum ex sacrorum, haec suspensio sit late sententiae, non tamen est reservata, & afficit solum promotos extra tempora ad sacros Ordines, non obstante Constit. Sixti V. Sanctum contra Clericos male promotos, qua papa reservabatur, cum abrogata fuerit a Clem. VIII. Constit. Romanum decet: & redacta ad terminos juris communis, & cit. Constit. Pii II.

Tit. XIV. De etate, & qualitate Praesentandorum.

XI. Decretali Alex. III. relata in cap. Praeterea 5. decernentis obtineri non posse beneficium curatum absque dispensatione, nisi ab eo qui sit subdiaconus, & intra breve tempus ordinari possit sacerdos, an derogatum sit a Bonif. VIII. cap. Si pro Clericis 8. tit. de Prab. in 6. clare statuente non oportere promotum esse ad Ordines sacros, sed sufficere in tali esse etate, ut proxime statuis a iure temporibus promoveri queat Gloss. in cit. cap. Si pro Clericis 8. verbo Promovere movet dubitationem: sed Fagnan. in cit. cap. Praeterea n. 5. & seq. tenet ex decreto Cong. Conc. a Clem. VIII. approbato in praxi conferri posse parochialem etiam



iam Clericis prima tonsuræ, dummodo intra annum ad sacros Ordines promoveantur.

Tit. XXIX. De Offic. Judic. delegat.

XII. Decretalis Lucii III. relata in cap. Relatum 19. statuentis jurisdictionem delegatam perpetuari liti contestatione juxta Panormit. Decium, Felinum, & alios hic, ampliata est ab Urbano III. cap. Gratum 20. hoc eod. tit. declarante perpetuari ipso citationis mandato, aut illius insinuatione. Ceterum Gonzalez sentit idem statui ab Urb. ac a Lucio III., cum ostendat in cap. Gratum non agi de simplici citatione, sed de citatione per edictum preceptorium, & trinam citationem, quæ inducit liti contestationem.

Tit. XXX. De Officio Legati in 6.

XIII. Decretalis Innoc. IV. relata in cap. Officii 1. tribuentis Legatis Cardinalibus generalem potestatem conferendi quæcumque beneficia in suis Provinciis, derogatum est a Bonif. VIII. cap. Deliberatione 4. hoc eod. tit. illis prohibente sub pœna nullitatis, ne conferant, aut sibi referent cathedrales, aut collegiatas Ecclesias, vel ipsarum cathedralium dignitates electivas majores post pontificalem. Quæ tamen prohibitio locum non habet, si aliter in fundatione alicujus Ecclesie statutum fuerit. Fagnan. in cap. Nullus 1. de Elect. n. 15.

Lib. II. Tit. II. De Foro competent.

XIV. Decretali Conc. Chalcedonenfis relata in cap. Si quis 1. indulgentis Clerico prorogationem jurisdictionis in alios Judices indistincte, accedente Episcopi, & Partium consensu, derogatum est ab Innoc. III. cap. Si diligenti 12. & a Greg. IX. cap. Significasti 18. præcipientibus prorogationem fieri debere ad iudicem ecclesiasticum, etiam accedente Episcopi, & Partium consensu. Ceterum cum in cit. Decretal. legatur non deferat proprium Episcopum, sed prius apud ipsum alio veniens, vel consilio ejusdem apud alios, & congrue intelligi possit apud alios Episcopos relatæ ad proprium, dicendum est, quod potius declarata fuerit.

XV. Decretalis Honorii III. relata in c. Ex parte 15. permittentis litteras apostolicas committi posse iudicibus ultra unam dictam, restricta est, ut supra numer. II.

XVI. Decretali Greg. IX. relata in cap. Conquestus 16. ex qua inferitur cognitionem cause delegari posse a Sede apostolica, ejusque Legatis cuiuscumque persone ecclesiastica, derogatum est a Bonif. VIII. cap. Statutum 11. de Rescrip. in 6. præcipiente, ne ulli committantur, nisi dignitate præditi, aut personatum obtinenti, seu cathedralium canonico. Vide Elencho III. num. I.

Eod. cit. cap. Statutum, & c. 10. Trid. sess. 25. de ref. derogatum pariter est Constit. Innoc. IV. in Conc. Lugdun. editæ - Præsent. Decretal. - statuentis committi posse etiam Canonici aliarum collegiarum honorabilium. Vide Fagn. cap. Cum olim 14. de Priv. num. 8. & 12.

Tit. VII. De Juram. Calumn.

XVII. Decretali Honorii II. relata in cap. Litteras 2. interdicentis juramentum calumnie in causis ecclesiasticis, derogatum est a Bonif. VIII. cap. Si de calumnia 1. §. Quamvis hoc eod. tit. in 6. decernente præstandum esse simul cum juramento de veritate dicenda.

Tit. XVII. De Sequest. possess.

XVIII. Decretali Honorii III. relata in cap. Dilectus 2. statuentis post appellationem contra possessionem beneficii sequestrandos esse tantum fructus, ne dissipentur, non vero ipsum beneficium, derogatum est a Clem. V. cap. unic. Ad compensandas hoc eod. tit. in Clementin. præcipiente post appellationem a possessione beneficii interpositam, sequestrandum esse beneficium, nulla facta mentione dissipationis fructuum.

XIX. Decretali Greg. IX. relata in cap. Ab eo 3. idem statuentis, derogatum est, ut supra.

Tit. XIX. De Probationibus.

XX. Decretali Clem. III. relata in cap. Juravit 6. admittentis ex quinto consanguinitatis gradu oriri impedimentum dirimens matrimonium, derogatum est ab Innoc. III. cap. Non debet 8. de consang. & affin. illud restringente ad quartum tantum gradum.

Tit. XXIII. De Præsumptionibus.

XXI. Decretali Alex. III. relata in cap. Litteris 12. in fine recententis crimen incestus inter septem impedimenta impedientia matrimonium contrahendum cum quacumque persona, quæ enumerantur a Glof. cap. Qui Presbyterum 2. de penit. & remis. verb. Absque spe his veribus.

1. Incestus. 2. Raptus sponsatæ. 3. Mors mulieris. 4. Susceptus propriae prolis. 5. Mors presbyterialis. 6. Vel si penitentia solemniter. 7. Aut monialem recipiat. prohiens hac conjugium sociandum, abrogata est a contraria consuetudine.

Abrogata pariter est Decretalis Concilii VVermensis relata in cap. Si quis 1. De eo qui cognovit &c. idem statuentis.

Item abrogatum est ab eadem contraria consuetudine impedimentum raptus sponsatæ alterius inductum a Conc. Tolet., seu juxta Correctores Romanos a Conc. Remen. Troslejano can. Statutum 34. caus. 27. q. 2. Item impedimentum homicidii uxoris inductum a Stephano V. can. Admonere 8. caus. 33. q. 2.

Item impedimentum susceptionis propriae prolis in baptismo, eo sine, ut maritus separatur a sua uxore inductum a Concil. Moguntin. can. De eo 5. caus. 30. q. 1. qui mortua uxore transire nequit ad secundam vota.

Item impedimentum presbytericidii inductum ab eod. Concil. Moguntin. cap. Qui Presbyterum 2. de penit. & remis.

Item impedimentum publicæ, & solennis penitentia inductum a Syriaco Papa can. De his vero 22. caus. 33. q. 2.

Item impedimentum ex matrimonio scienter contracto cum moniali inductum a Conc. Triburien. can. Et ergo qui 13. caus. 27. q. 1.

De quorum omnium impedimentorum abrogatione a contraria consuetudine inducta vide Caballut. Jur. can. Theor. lib. 3. cap. 21. n. 9.

Erat etiam impedimentum ortum ex Carechismo inductum a Clem. V. cap. Contracto 5. de Cognat. Spirit. sed vide abrogationem Elencho II. n. CXLVIIII. Unde quatuor tantum hodie remanent impedimenta impedientia, nempe votum simplex castitatis, sponsalia, Ecclesie vetium, & tempus feriarum.

XXII. Nota tamen quod scienter ducens in uxorem propinquam sanguinis, præter nullitatem matrimonii redditur inhabilis, donec vixerit ad contrahendum cum quacumque can. Qui propinquam 4. caus. 35. q. 2. & 3. & contrahere volens indigeret dispensatione ex Decretis Cong. Conc. relatis in Lucarven. nullis. maritim. 7. Sept. 1720. cui accedit stylus Datarie, quæ in dispensationibus matrimonialibus pro incestuosus consanguineis apponit semper clausulam, quod alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat. Corrad. in prax. dispensat. lib. 8. c. 3. n. 60.

Lib. III. Tit. III. De Cleric. conjug.

XXIII. Decretalis Innoc. III. relata in cap. Joannes 7. statuens Clericum conjugatum, licet desertum habuisse, & tonsuram, non gaudere privilegio clericali, limitata est a Bonif. VIII. cap. unic. Clerici hoc eod. tit. in 6. decernente, si non sit bigamus, gaudere privilegio canonici si quis suadente 29. caus. 17. q. 4. & fori in criminalibus. Vide Elencho III. n. XV. & Elencho IV. n. X.

Tit. IV. De Clericis non residentibus.

XXIV. Decretali Conc. Later. III. relata in cap. Quia

Quia nonnulli 3. statuentis recipientem duas dignitates, vel duas parochiales eo ipso privatum esse secundam, saltem juxta plurimum DD. opinionem relatum a Fagn. hoc eod. cap. n. 3. derogatum est ab Innoc. III. cap. de multa 28. de Preben. decernente nec esse privatum ipso jure, nec privatum secunda, sed ipso jure privatum esse prima: & si hanc retinere contenderit, privatum esse utraque. Vide Elencho II. num. LXXXIII.

Tit. V. De Prebendis.

XXV. Decretali Alex. III. relata in cap. Refereme 7. permittentis habenti plures Ecclesias electionem alterius, derogatum est ab Innoc. III. cit. cap. De multa, auferente hanc optionem in beneficiis curatis, & decernente eo ipso privatum esse primo.

XXVI. Decretali ejusdem relata in cap. Præterea 14. idem statuentis, derogatum est, ut supra.

XXVII. Decretalis Innoc. III. relata in cap. Demulta 28. decernentis ut supra n. XXIV. declarata est a Jo. XXII. cap. unic. Execrabilis hoc eod. tit. statuentem recipientem secundum beneficium curatum, vel secundam dignitatem, nisi statim adepta pacifica hujus possessione, verbo, & facto in manibus Ordinarii dimiserit primum, privatum esse utroque, & inhabilem esse ad sacros Ordines, ac ad beneficia obtinenda, & beneficium ultimo receptum non posse conferri per alium, quam per Papam.

Eodem Tit. in 6.

XXVIII. Decretalis Clem. III. relata in cap. Licet 2. prohibentis sub pœna nullitatis collationem dignitatum, & beneficiorum vacantium in Curia romana factam ab alio, quam a Papa, moderata est a Greg. X. cap. Statutum 3. hoc eod. tit. in 6. decernente conferri posse ab his, ad quos collatio pertinet, si infra mensem a die vacationis a Papa collata non fuerit: quam Clemens Decretalem d. Bonif. cap. Præsent 24. hoc eod. tit. in 6. declaravit in quibus beneficiis locum habeat, & quotique Curia Rom. se extendat.

XXIX. Eadem Decretalis moderata est ab eodem Bonif. cap. Si Apostolica 35. hoc eod. tit. decernente conferri posse ab eis, ad quos pertinent, beneficia parochialia vacantia in Curia tempore Sedis Apostol. vacantis; & etiam ibidem vacante, vivente Pontifice, sed ab eo non collata ante suum obitum.

XXX. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. Eum qui 18. decernentis habentem beneficium curatum, & vi occupantem, seu se scienter intrudentem in alio simili, esse ipso jure privatum primo; ampliata est a Jo. XXII. cap. unic. Execrabilis hoc eod. tit. extendente hanc penam ne dum ad occupantem vi dicta duo beneficia, sed etiam ad ea quocumque modo obtinentem. Ac insuper in obtinentes duo simul quacumque alia beneficia, licet non curata: & si statim in manibus Episcoporum non dimiserit, declarantur ipso jure privati secundo, & inhabiles ne dum ad suscipiendos Ordines sacros, sed etiam ad quæcumque beneficia obtinenda.

Tit. VIII. De Concess. præbende.

XXXI. Decretalis Alex. III. relata in cap. Accedens 10. decernentis adimplendam esse promissionem factam a Prelato de conferendo beneficio cum poterit, expresse abrogata est a Bonif. VIII. cap. Detestanda 2. hoc eod. tit. n. 6. hanc reprobatæ, & aliam quancumque, quia directe, vel indirecte aperitur via ad beneficia vacantia. Has eadem promissiones reprobatæ Conc. Lateran. sub eod. Alex. cap. 8. de beneficiis tamen primo vacaturis cap. Relatum 3. & cap. Cuiusdam 16. relata in cap. Nulla 2. hoc eod. tit. non veto de providendo, cum quis poterit: quod quidem diversum est, ut idem Alex. docet cit. cap. Accedens. Papa tamen potest jus tribuere in beneficiis vacaturis, ut d. cap. Detestanda. Circa mandata de providendo vide Elencho II. n. IV.

Tit. XXVII. De Sepulturis.

XXXII. Decretalis Leonis relata in cap. Relatum 2. statuentis deberi propriam parochiam medicationem bonorum, de quibus five in morte, five in vita monasterium ingressurus disposuerit pro salute anime sue, præter contrariam consuetudinem, abrogata est etiam ab Alex. III. cap. De his 4. hoc eod. tit. declatante ad id cogi non posse.

XXXIII. Decretali Innoc. III. relata in cap. Fratrum 3. improbantis electionem sepulture in loco minus religioso, idest in alia Ecclesia, relicto sepulchro majorum, (patris videlicet, avi, proavi, aliorumque ascendentium in linea recta, cum omnes veniant nomine majorum l. jurisconsulti. 10. ff. de gradibus) derogatum est a Bonif. VIII. cap. Cum quis 2. hoc eod. tit. in 6. decernente §. Si quis talem electionem non esse impugnandam.

Eod. Tit. in 6.

XXXIV. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. Antimarum 1. prohibentis sub pœna excommunicationis ferrende, præter ceteras, Regularibus, & secularibus Clericis inducere aliquem ad eligendam sepulturam in propriis Ecclesiis, vel electam non immutandam medio voto, juramento, vel pacto, ampliari est a Clem. V. cap. Cupientes 3. addente §. Sane excommunicationem ipso facto Papæ reservatam.

Eod. Tit. in Extravag. Comm.

XXXV. Decretali Bonif. VIII. relata in cap. Super cathedralibus 2. coercentis certis limitibus exemptiones, & privilegia Fratrum Ordinum Prædicatorum, & Minorum, quoad prædicationem verbi Dei, confessiones audiendas, sepulturas, & quartam funeralem, derogatum est a Benedic. XI. cap. Inter cunctas 1. in Extravag. Commun. de Privileg. eisdem limitibus auferente; quamvis postea hæc Bened. Decretal. abrogata fuit a Clem. V. ut infra n. LXVI.

Tit. XXX. De Decimis.

XXXVI. Decretali Paschalis II. relata in cap. Novum 2. statuentis bona primæ erectionis exempta esse a solutione decimarum, derogatum fuit ab Innoc. III. cap. Nuper 34. hoc eod. tit. decernente indistincte decimarum oneri subjecta esse etiam bona primæ erectionis, ut animadverit Rota in Hispan. decimar. 15. Martii 1723. coram Aldrovand.

XXXVII. Decretalis Celestini III. relata in cap. Ex parte 21. declarantis Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios ante Conc. Later. IV. celebratum sub Innoc. III. an. 1215. ex privilegio non teneri decimas solvere de fructibus possessionum, quas propriis manibus, vel sumptibus excolebant, moderata est ab eod. Innoc. III. cap. Nuper 34. hoc eod. tit. statuentem, ut tam dicti privilegiati, quam alii Regulares quomodolibet privilegiati teneantur solvere decimas de fructibus possessionum, quas post dictum Concilium quocumque titulo acquirerent, licet illas propriis manibus, ac sumptibus excolerent, si de iisdem antea decime solvebantur. Vide Fagnan. in cit. cap. Nuper num. 2.

Tit. XXXV. De Statu Monachor.

XXXVIII. Decretali Alex. III. relata in cap. Recoletos 3. declarantis domum Religiosam posse ex toto ordinaria auctoritate se transferre ad Religionem altiorum alterius Ordinis, (ut Cisterciensium, de quo in hoc textu) derogatum est a Greg. IX. cap. unic. Religionem de Relig. Dom. in 6. §. Ad hæc id prohibente sine speciali Sedis apostol. licentia.

Tit. XXXVIII. De Jure patronat.

XXXIX. Decretali Conc. Mediolan. (vel, ut alii Mediamoricen.) relata in cap. Perlatum 1. statuentis (juxta summarium hic) cessandum esse a divinis, tolendas



lendas reliquias, & claudenda ostia Ecclesie carentis administratore propter discordiam Patronorum in eo nominando, derogatum est a Concil. Later. sub Alex. III. cap. Quoniam 3. hoc eod. tit. precipiente, ut in tali casu Episcopus interim provideat absque cessatione a divinis, ad cuius tramitem hodie procedendum esse ait Glos. in cit. cap. Pralatum verb. Celeberrim. Id ipsum Episcopus faciet, si intra quatuor menses non fuerit dicta questio orta super competentia juris patronatus.

XL. Decretali Conc. Triburien. relata in cap. Quamquam 2. idem statutis, derogatum est, ut supra.

Tit. XXXIX. De Censuris in 6.

XLI. Decretali Innoc. IV. relata in cap. Romana 1. prohibentis, §. Procuraciones. Visitatoribus accipere victualia in pecunia, tacite derogatum est a Bonif. VIII. cap. Felicitas 3. hoc eod. tit. id permittente, si visitati eam solvere velint.

XLII. Eadem decretalis prohibens cit. §. Procuraciones, ne Episcopus, vel inferior Prælatus visitans, & quicumque eorum familiarium presumat accipere quodcumque munus, qualitercumque oblatum occasione visitationis, sub pena maledictionis, donec duplum restituat, confirmata, & ampliata est a Greg. X. seq. c. Exigit interdicens, exactionem procuracionis in pecunia, licet sponte oblata, ac etiam receptionem munerum, vel procuracionem in casu non impensi visitationis officii, etiam in victualibus, aut aliquid aliud: sub pena in Episcopos, & his majores interdicti ipso facto ab ingressu Ecclesie; & in inferiores Episcopos suspensionis ab officio, & beneficio, quousque duplum restituerint, nulla dantium remissione valitura. Pro pena maledictionis, que sepe in jure reperitur inflicta, DD. communiter intelligunt penam eternam debitam pro lethali culpa; atque ideo significare dicunt præceptum obligare sub mortali.

XLIII. Decretali Greg. X. relata in cap. Exigit 2. vetantis, ut supra etiam visitati solvere velint victualia in pecunia, expresse derogatum est ab eodem Bonif. cit. cap. Felicitas id permittente.

XLIV. Eadem Decretalis infligens penas, ut supra n. XLII. nisi intra unum mensem duplum restituatur, moderata est a Bened. XII. cap. unic. Vas electionis in Extr. Comm. hoc tempus extendente ad duos menses; quamvis huic Bened. decretali derogatum sit a Trid. ut infra Elencho II. n. CXXXII.

XLV. Decretali Bonif. VIII. relata in cap. Quamquam 4. specialiter excommunicantis quascumque particulares personas, & interdicens Universitates exigentes, extorquentes, vel compellentes Ecclesias, aut Ecclesiasticos per se, vel per alium nomine proprio, sive alieno ad pedagia, & quidagia pro ipsis personis, aut rebus, quas ad proprium usum, non negotiationis causa deserunt, nec absolvendos, nisi plenarie percepter restituierint, & de hujusmodi transgressione competenter satisfecerint, ampliata est a Clement. V. cap. Presenti 3. hoc eod. tit. in Clement. precipiente publicandis esse ut tales a diocesanis, donec satisfecerint, ut supra. Quam Bonifacii decretalem docet Thes. cap. 4. n. 3. verb. Immunitas procedere in omni gabelia, tam ratione transitus eorumdem ecclesiasticorum, quam contractus, vel illationis, aut extractionis rerum; & hodie hac censura reservata est Papæ in Bulla Cæne cap. 18.

Tit. XLIX. De Immunit. Ecclesiast.

XLVI. Decretali Conc. Later. sub Alex. III. relata in cap. Non minus 4. infligentis excommunicationem non reservatam in Consulibus, Rectoribus, aliisque laicos potestatem habentes, eorumque fautores, si communiti non desisterint imponere quæcumque onera Ecclesie, & Ecclesiasticis absque iudicio, & consensu Episcopos, ac Cleri iudicantium conferenda esse laicis subdita ab iisdem ecclesiasticis, si sole eorumdem laicorum facultates pro sublevandis communibus necessitatibus non sufficiant, limitata est ab Innoc. III. cap. Adversus 7. hoc eod. tit. id præstari prohibente, nisi prius consulto Romano Pontifice. Simul ampliata est, 1. extendendo dictam decretalem, & censuram etiam

contra successores eorumdem laicorum in regimine onera imponentium, si intra unum mensem a die successiois, non satisfecerint Ecclesie. 2. declarando eam censuram durare, etiam officio deposito. 3. sententias, & statuta circa dicta onera imponenda irritanda.

XLVII. Decretali Innoc. III. relata in cap. Inter alia 6. excipientis duos tantum casus, in quibus confugiens ad Ecclesiam non gaudet immunitate ecclesiastica, publicis scilicet latro, & nocturnis depopulator agrorum, dum itinera frequentata, & publicas vias obfider aggressiois infidiis, ampliata est a Decretali relata in cap. Immunitatem 10. hoc eod. tit. extendente hanc penam etiam ad eum, qui sub spe immunitatis homicidium, vel mutilationem membrorum committit in ecclesiis, aut cimiteriis. & ab Inn. IV. cap. Pro humani 1. hoc eod. tit. in 6. eadem penam pariter extendente ad assassinos. Vide Additiones meas lib. 3. hoc eod. tit.

XLVIII. Decretali Innoc. III. relata in cap. Adversus 7. restringentis facultatem Episcopi circa concessionem subsidii, & collectarum, ut supra n. XLVI. ampliata est a Bonif. VIII. cap. Clericis 3. hoc eod. tit. in 6. declarante, 1. excommunicationem latam in laicos collectantes ecclesiasticos ut in cit. n. XLVI. esse Papæ reservatam, etiam si imponitur a sponte dantium recipiant absque licentia Sedis apostolicæ. 2. eadem pena ligari quoscumque ecclesiasticos, etiam Prælatos, dicta onera sine Papæ licentia sponte solventes, donantes, se soluturos promittentes, aut impositioni consentientes. 3. ferre interdictionem Papæ pariter reservatam contra Universitates in premissis culpabiles. 4. derogante omnibus privilegiis sub quacumque verborum forma quicumque concessis.

Eodem Tit. in 6.

XLIX. Decretali Bonif. VIII. relata in cit. cap. Clericis 3. statuentis, ut supra, moderata est a Bened. XI. cap. Quod olim 1. hoc eod. tit. in Extravag. Comm. restringente censuram in Ecclesiasticos onera sponte solventes latam in solos laicos ea imponentes, & recipientes, quamvis ecclesiasticis peccent eadem sponte solventes sine licentia Papæ.

Eidem decretali derogatum est a Clem. V. cap. unic. Quoniam hoc eodem tit. in Clemen. eam reducende ad terminos dispositionis cit. cap. Non minus 4. & Adversus 7.

Eod. Tit. in Extravag. Commun.

L. Decretali Bened. XI. relata in cit. cap. Quod olim 1. disponentis ut supra, derogatum est prout in cit. cap. Quoniam.

Ceterum a Conc. Later. sub Leone X. sess. 9. §. Cum a jure mox cit. decretalis Bonif. VIII. innovata fuit, addendo, quod prædicta omnia facere præsumptus sunt ipso jure interdicti, & inhabiles ad omnes actus legitimos; unde etiam erunt irregulares. Hodie vero attendenda est Bulla Cæne, qua cap. 18. ferunt excommunicatio Papæ reservata contra talia onera imponentes, exigentes, & recipientes, etiam a sponte dantibus; & contra directæ, aut indirecte exequentes, procurantes, auxilium, consilium, vel favorem præstantes. Unde contra ecclesiasticos solventes, seu consentientes nulla censura est late sententia Thes. de Pan. verbo Immunitas c. 4. n. 2. Sequestrantes vero fructus pertinentes ad Ecclesias, & Ecclesiasticos ex cap. 17. ejusdem Bullæ Cæne incurrunt excommunicationem Papæ reservatam sicut & sequestrantes, vel occupantes eorumdem, vel aliorum locorum piorum deposita ex Trid. sess. 25. cap. 20. de ref. & clerici consentientes præter dictam censuram incurrunt eo ipso privationem suorum beneficiorum, ac inhabilitatem ad eadem, & Patroni Ecclesiarum, si talia fecerint, privantur eo ipso jurepatronatus.

Tit. L. De Clericis, vel Monach.

LI. Decretali Alex. III. relata in cap. Non magnopere 3. infligentis penam excommunicationis (quæ secundum multorum opinionem non erat late sententia) in Religiosum profectum exeuntem a claustrum ad legem.

legendas medicinam, & legem civilem, si intra duos menses ad claustrum non redierit, ampliata est ab Honor. III. cap. Super specula 10. hoc eod. tit. declarante 1. ad legendas intelligi ad audientias; & a transgressore incurrî ipso facto excommunicationem: precipiente insuper denunciandum esse publicum excommunicatum a diocesanis, & capitulis loci domicilii ejusdem transgressoris, ac loci studiorum. Extensa est pariter ad alios, ut etiam infra n. LIII.

LII. Decretali Innoc. III. relata in cap. Sicut te 8. jubentis constitutos in facis compellendos esse per subtractionem beneficiorum, ut desistant a Tabellionis exercitio, moderata est a Clem. IV. cap. Ut officium 11. de Hæret. in 6. eis permittente §. Ad conferendas hujusmodi officium in causa hæresis exercere: ac etiam a Bonif. VIII. cap. Deben. 1. de Off. Ord. in Extravag. Comm. permittente adhiberi posse Clericum, in visitatione Capituli cathedralis juxta Fagnan. lib. 1. in cap. Cum quis tit. de Elect. quamvis textus Bonifacii loquatur de visitatione Monasterii.

LIII. Decretali Honorii III. relata in cap. Super specula 10. prohibentis Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Plebanis, Cantoribus, alisque personatum obinentibus, nec non Presbyteris sub certis penis studere legi civili, & medicinæ, moderata est a Bonifacio VIII. cap. Statutum 1. hoc eod. tit. in 6. declarante hujusmodi prohibitionem non extendi ad Clericos simplices curam animarum habentes, nisi eorum Ecclesie habeant sub se capellas, id est Ecclesias, in quibus instituantur Clerici perpetui; cum in hoc casu similes Parochi reputentur tanquam dignitates, ut advertit hic Glos. 2. ex quorundam sententia.

Lib. IV. Tit. I. De Sponsalibus.

LIV. Decretali Alex. III. relata in cap. Non est 11. prohibentis tempore generalis interdicti celebrationem divinorum officiorum, & Sacramentorum administrationem, exceptis baptismis parvulorum, & penitentia pro morticibus, derogatum est a Bonif. VIII. cap. Quoniam 19. de sent. excom. in 6. permittente baptismum, & confirmationem administrari posse etiam adultis: & permittente alia quamplurima cap. Alma mater ut infra n. LXIX.

Tit. XIII. De eo, qui cognovit &c.

LV. Decretali relata in c. Si quis 1. recensens inter impedimenta impedientia matrimonium cum quacumque persona contrahendum, crimen incestus committi cum propriis consanguineis, vel conjugis, abrogata est a contraria consuetudine, de qua vide notata supra n. XXI. & XXII.

LVI. Decretali Alex. III. relata in cap. Veniens 2. statuentis, cum qui post matrimonium contractum cognovit consanguineam uxoris suæ, impediri, ea mortua, ad contrahendum cum quacumque alia, sicut & si incestuosus fuerit ante matrimonium, abrogata est ut supra n. XXII.

LVII. Decretali Celest. III. relata in cap. Transmissa 4. idem statuentis, abrogata est ut supra.

Lib. V. Tit. III. De Simonia.

LVIII. Decretali Alex. III. relata in cap. Instauratum 13. statuentis, simoniacum manifestum amovendum esse a beneficio, tacite derogatum est, seu ampliata a Paulo II. cap. Cum deservibile 2. hoc eod. tit. in Extravag. Comm. declarante simoniacum tam manifestum, quam occultum ejusdemque conditionis sit, etiam Cardinalatus honore fulgentem, ipso facto privatum beneficio simoniace acquisito; & teneri ad illius dimissionem, & fructuum restitutionem ante omnem declarationem; sicut & ex Constit. S. Pii V. Cum primum §. 8.

LIX. Decretali Alex. III. relata in cap. Veniens 19. statuentis, superiores regulares simoniace accipientes aliquem ad habitum suspendendos esse ab officio, & sic receptum ingredi debere aliud monasterium, ampliata est ab Innoc. III. cap. Dilectus 30. & cap. Quoniam 42. hoc eod. tit. extendente hanc prohibitionem ad Regulares utriusque sexus; penam vero egressus e mona-

sterio, in quo recepti, vel recepte sunt, in locum altioris regule ad agendam perpetuam penitentiam, tam ad recipientes, quam ad receptos, seu receptas; ut in cit. cap. Quoniam.

LX. Eadem Decretalis ampliata est ab Urb. V. cap. Sane 1. hoc eod. tit. in Extravag. comm. addente excommunicationem ipso facto tam in dantes, quam in recipientes Regulares pariter utriusque sexus: suspensionem vero, si capitulum, & conventus fuerit, ipso jure, quas penas Papæ reservat. Hanc tamen suspensionem Thes. de Pan. verb. Simonia cap. 10. n. 1. sentit intelligendam esse non ab officio, & beneficio, sed ab officio tantum capitulari, seu administratione.

Tit. V. de Magistris.

LXI. Decretali Honorii IV. relata in c. Super specula 5. indulgentis beneficiatis tam docentibus theologiam, quam huic studentibus integram perceptionem fructuum suorum beneficiorum, & prebendarum per quinquennium ob hanc causam non refundentibus; ampliata est a Bonif. VIII. cap. Cum ex eo 34. de elect. in 6. impertientis hujusmodi gratiam etiam beneficiatis curam animarum habentibus cum Episcoporum, seu suorum superiorum dispensatione per septennium. Vide notata supra n. VI.

Tit. VI. De Judæis.

LXII. Decretali Conc. Later. relata in cap. Ita quorundam 6. excommunicantis Christianos deserentes arma, & alia facientia ad belli apparatus ad Saracenos; aut gubernationem exercentes in eorum piraticis navibus; ampliata est ab Innoc. III. cap. Ad liberandam 17. eod. tit. addente penam satisfactionis temporis absolutiois faciende in favorem terre sancte. Verum hæc censura, & pena non est in usu, cum hodie Terra sancta ab Infidelibus detineatur.

Tit. XIX. De Usuris.

LXIII. Decretali Alex. III. relata in cap. Quia 32. statuentis usurarium manifestum decedentem in hoc peccato privandum esse Ecclesiastica sepultura, ex quo infertur ea non esse privandum, si penitens decedat, mandando, ut restituatur usura; prout notat Glos. in cap. Quamquam 2. hoc eod. tit. in 6. verb. Mandaverunt, ampliata est a Greg. X. cit. cap. Quamquam hoc eod. tit. in 6. præscribente non esse sepeliendum, licet restitutionem mandaverit, nisi prius vel facta sit restitutio, vel præstita idonea cautio restituendo provi- turibus hereditatis.

Tit. XXXI. De Excess. Prælatorum.

LXIV. Decretali Greg. IX. relata in cap. Nimis 17. permittentis Ordinibus Prædicatorum, & Minorum novorum conventuum erectionem de licentia tantum Ordinariorum, derogatum est a Bonif. VIII. cap. unic. Cum ex eo hoc eod. tit. in 6. precipiente hos erigi non posse neque ab ipsis, neque ab aliis Ordinibus inordinatis absque speciali sedis apostolice facultate.

Quibus aliis Regularium Ordinibus id hodie prohibetur vide Elencho VI. n. LXXXV.

Tit. XXXIII. De Privilegiis.

LXV. Decretali Innoc. III. relata in cap. Cum olim 14. statuentis cognitionem causarum committi posse a Sede Apostolice, etiam simpliciter monacho, derogatum est ut supra n. XVI.

Eod. Tit. in Extravag. Comm.

LXVI. Decretali Bened. XI. relata in cap. Inter cunctas 1. qua concedebantur plura privilegia Ordinibus Prædicatorum, & Minorum circa prædicationem Verbi Dei, confessionium audicionem, & sepulturas, derogatum est a Clem. V. cap. Dudum 2. de Sepult. præscribente, quomodo, & quando his privilegiis uti possint.

LXVII. Per citat. Decretal. Inter cunctas derogatum fuerat



fuerat Decretali Bonif. VIII. *Super Cathedralibus* 2. de Sepulch. in Extravag. Comm.

*Tit. XXXVIII. De Penit. & Remis.*

LXVIII. Decretalis relata in cap. *Qui Presbyterum* 2. recensens inter impedimenta matrimonii impedientia Presbytericum, abrogata est per contrariam consuetudinem, ut supra n. XXI.

LXIX. Decretalis Innoc. IV. relata in cap. *Quod in* 11. statuentis, ut tempore generalis interdicti sive a Jure, sive ab homine nulla publice divina celebrentur officia, vel ecclesiastica Sacramenta ministrantur, excepta penitentia & viatico pro morientibus, ac penitentia pro cruce signatis, & peregrinis, limitata est a Bonif. VIII. cap. *Alma mater* 24. de *sent. excom. in 6. & ibi Glos.* permittere. 1. ut quilibet fidelis etiam corpore sanus admitti possit ad Sacramentum penitentiae, modo non sit excommunicatus, 2. ut in Ecclesiis, & monasteriis in loco interdicti sitis specialiter non interdictis, dummodo nullam causam interdictio dederint, celebrari possint missae, aliaque divina officia sicut prius; submissa tamen voce, Januis clausis, non pulsatis campanis, & interdictis exclusis. 3. ut acquiri, vel amitti possint ex clericorum praesentia, vel absentia distributiones quotidianae. 4. ut in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, & Assumptionis Beatae Virg. pulsari queant campanae, admissis etiam interdictis, dummodo qui sua culpa causam interdictio dederint, Altari non appropinquent.

A Martino V. Constit. *Ineffabilis* addita est festivitas Corporis Christi cum octava; & a Clem. VIII. Constit. *Sacre* 17. Octob. 1595. respectu sacrarum Minorum S. Francisci, festivitates ejusdem S. Francisci, Bonaventurae, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Clarae, Elisabethae, ac Marijrum ejusdem Ordinis, Didaci, & Porriane.

LXX. Decretali Innoc. III. relata in cap. *Omnis vicariusque* 12. praecipiens ab omnibus semel in anno peccatorum suorum confessionem faciendam esse cum proprio sacerdote, idest parochio; vel cum alio sacerdote de ipsius parochia licentia, ac proinde, ut clare deducitur ex cap. *Ne dilatio* 16. hoc eod. tit. ab omnibus parochianis tam laicis, quam Sacerdotibus, & Clericis faciendam cum proprio parochio, a parochis cum proprio Episcopo, ab Episcopo cum proprio Archiepiscopo, ab Archiepiscopo cum proprio Patriarcha, a Patriarchis, & aliis Praelatis exemptis immediate Papae subiectis, seu non habentibus supra se alium superiorem, ut Cardinales, cum Papa, aut cum majori ejus Penitentiario, derogatum est quo ad Episcopos, aliosque superiores, & minores Praelatos exemptos a Greg. IX. cit. cap. *Ne pro dilatione*, iis tribuente facultatem sibi eligendi discretum confessorium sine licentia propriorum respective sacerdotum.

Quo ad reliquos vero respectu confessoriarum secularium tacite derogatum est a Concilio Trident. sess. 14. c. 7. de *reform.* tribuente facultatem absolvendi cuicumque Sacerdoti a proprio Episcopo approbato, qui est primarius omnium suorum subditorum sacerdos.

Respectu tandem confessoriarum Regularium, praeter Trident. derogatum pariter est a Clem. V. cap. *Dudum* 2. in *Clemen.* §. *Statuimus*, & a Jo. XXII. cap. *Vas electionis* 2. de *heret. in Extr. Comm.* tribuente facultatem iisdem audiendi secularium confessiones; etiam cum declaratione quod per hujusmodi confessiones satisfiat Ecclesiae precepto, de quo in cit. cap. *Omnis*.

Intellige tamen, si dicti Regulares approbati fuerint ab Episcopo diocesano juxta Constit. Clem. X. *Superna*.

*Tit. XXXIX. De Senten. Excomm.*

LXXI. Decretalis Clem. III. relata in cap. *Cum non ab homine* 14. decernentis vitandum esse percussorem Clerici licet occultum, restricta est a Martino V. Constit. *Ad evitanda* 11. Kalen. Febr. 1435. per extensum relata a Covarruvias par. 1. de *sent. excom.* statuente esse tantum vitandum notorium percussorem cle-

rici, ac eos, qui publice, & nominatim denunciati sunt ut evitandi.

LXXII. Decretalis ejusdem relata in cap. *Cum de* 15. decernentis vitandum esse diffamatum de excommunicatione, restricta est, ut supra.

LXXIII. Decretali Innoc. III. relata in cap. *Quod in dubio* 30. juncto cap. *Excellentissimus* 11. q. 2. ex quibus inferitur ferri posse a quocumque ecclesiastico iudice excommunicationem, excommunicando etiam eodem contextu v. g. Titium cum participibus suis, derogatum est ab Innocentio IV. cap. *Statuimus* 3. & a Greg. X. cap. *Constitutionem* 9. hoc eod. tit. in 6. in libentibus inferiori iudici a Papa ferre excommunicationem generalem contra participantes cum excommunicato a se; ac precipiendus ferri posse solum specialem, tunc canonica monitione praemissa, vel unica pro tribus, contra nominatim expressos, v. g. monendum Cajum, & Sejum, nec cum Titio communicandum.

LXXIV. Decretalis ejusdem relata in cap. *Responsio* 43. statuentis, ne tempore generalis interdicti ulla divina officia celebrentur, nec administrantur sacramenta, exceptis baptismo parvulorum, confirmatione, & penitentia pro morientibus, limitata est ut supra n. LXIX.

LXXV. Decretalis Greg. IX. relata in cap. *Permittimus* 57. indulgentis tempore generalis interdicti semel tantum in hebdomada celebrari posse missam, Januis clausis, & sine campanarum sono ad conficiendum Corpus Christi pro morientibus, limitata est ut supra n. LXIX.

*Eodem Tit. in 6.*

LXXVI. Decretali Innoc. IV. relata in cap. *Cum medicinalis* 1. declarantis ipso facto interdictis per unum mensem ab ingressu Ecclesiae, & a divinis officijs suspensos quoscumque Ecclesiarum Praelatos, & Judices ferre praesentes excommunicationis, interdicti, & suspensionis censuras in aliquem sine scriptura, & expressione causae eorumdem respective censurarum, & absque exemplari dictae scripturae reo tradendo intra mensem, eo requirente, derogatum est, seu verius adjecta est declaratio ab eodem Pontifice cap. *Quia periculosum* 4. hoc eod. tit. quo ad Episcopos, eorumque Superiores, idest Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates, hos scilicet (licet & ipsi veniant, sub nomine Praelatorum) non servantes hujusmodi formam non incurere sententiam interdicti, & suspensionis, nisi de iisdem in quacunque constitutione, sententia, vel mandato dictas censuras insipientibus expressamente habeatur.

An vero incurant etiam excommunicationem, si non exprimentur, alii affirmant, alii negant propter Glosae contradictionem in hoc eod. cap. *Quia periculosum*, tam in casu, quam in verbo *Suspensionis*.

LXXVII. Decretalis ejusdem relata in cap. *Statuimus* 3. decernentis participantem cum excommunicatione excommunicatione majori in ea parte, quae solum inducit excommunicationem minorem, ligari non posse eadem majori excommunicatione, non praemissa monitione canonica, ampliata est, seu potius declarata a Greg. X. cap. *Constitutiones* 9. hoc eod. tit. statuente ligari non posse, adhuc hac monitione praemissa, nisi in ea nominatim exprimat participans.

LXXVIII. Decretalis Greg. X. relata in cit. cap. *Constitutionem* 9. decernentis ut supra, ampliata est a Bonif. VIII. cap. *Statutum* 13. hoc eod. tit. extendente dictam Gregorij declarationem etiam ad sententias suspensionis, & interdicti, si suspendendi, & interdicendi in ipsis nominatim non exprimentur.

*Tit. XL. De Verbor. significat. in 6.*

LXXIX. Decretalis Nicol. III. relata in cap. *Exiit qui seminat* 3. fulminantis §. *Itaque* excommunicationem ipso facto incurendam Papa reservatam, aliaque penas contra Glossantes hanc eandem decretalem, moderata est a Joan. XXII. cap. *Quia nonnunquam* hoc eod. tit. dictas penas suspendente usque ad Sedis Apostolicae beneplacitum.

ELEN-

# ELENCHUS II.

Decretalium correctarum a Sacro Concilio Tridentino partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione.

*Servato Ordine Titulorum, ac Capitulorum in unoquoque Libro.*

*Lib. I. Tit. II. De Constit.*

I. Decretalis Innoc. III. relata in cap. *cum omnes* 6. admittentis valere consuetudinem non residentis, & percipiendi fructus in absentia, abrogata est sess. 24. cap. 12. de *refor.* §. *Præterea* statuente sub certis penis, ne obtinentibus in cathedralibus, & collegiatis Ecclesiis, etiam non insignibus, canonicatus, praebendas, aut portiones liceat vigore jussumque statuti, aut consuetudinis ultra tres menses quolibet anno ad eisdem Ecclesiis abesse, etiamsi per substitutos infervirent; salvit tamen earum Ecclesiarum consuetudinibus, quae longius servitii tempus requirant. Excipiuntur casus absentiae pro cura animarum, ut sess. 22. cap. 3. §. *Quod si*. Et sic excusabitur Archiepiscopus pro eo tempore, quo curam exercet, cui generaliter hujusmodi cura incumbit, cujus consuetudinis non residentis abrogationem probat *Fagn.* hoc eod. cap. etiam locum habere ex Decret. Cong. Conc. respectu canonicorum, & curatorum, quamvis nullos redditus habeant.

II. Ex Decret. Cong. Conc. relata a cit. *Fagnan.* hoc eodem cap. *non* 31. approbato a Gregor. XIII. excipiuntur etiam canonici Collegiarum non insignium, si consuetudo non residentis sit immemorabilis.

III. Decretalis Honorij III. relata in cap. *Ex parte* 12. statuentis juxta communem intellectum posse canonicos auctoritate Episcopi praebendas suppressere, eaque ad minorem numerum reducere, si Ecclesiae redditus diminuti sint, moderata est sess. 23. c. 15. de *ref.* permittente, ut in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus tantum (de qua restrictione non cavetur in hac Decretali) ubi frequentes, adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut non satis sint pro sustinendo decenti canonico gradu juxta loci, & personarum qualitatem, possit Episcopus cum consensu Capituli aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, his unire; vel si hoc modo provideri nequeat, aliquas ex iisdem praebendis suppressere, suppressarumque fructus reliquarum distributionibus applicare.

Nota hic ex decretis Cong. Conc. relata a *Fagn.* in cap. *Expositio* 33. de *Præb.* vigore cit. cap. 15. *Trident.* non posse Episcopum etiam cum consensu Capituli unire praebendis canonicalibus portiones ejusdem Ecclesiae; neque beneficia simplicia fabricae, vel sacristiae Ecclesiae cathedralis, vel mensae capitulari ob eam respectu reddituum tenuitatem, prout etiam statuitur in *Clementin.* si una 2. de *reb. Eccles. non aliena*.

*Tit. III. De Rescriptis.*

IV. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Eam* 7. admittentis expectativas, & mandata apostolica de providendo beneficio, abrogata est sess. 24. cap. 19. de *refor.* prohibente, ut dictae expectativae, & quaecumque eas redolentia nemini amplius, etiam collegiis, universitatibus, senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulgi, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedantur, nec habeantur concessis cuicque uti liceat; sicut nec reservationes mentales, nec aliae, quaecumque gratiae ad vacatura, nec indulgia ad alienas Ecclesias, vel monasteria alienis, etiam S. R. E. Cardinalibus; & haecenus concessa abrogata esse censentur. Prohibente insuper sess. 25. cap. 7. omnes regrelius, accessus, & ingressus per cessum, & decessum; quos etiam prohibuit S. Pius V. Constit. *Romani*.

Circa coadiutorias in beneficiis distinctis ab episco-

patu, & praepositis regularibus cit. cap. 7. prohibitas vide *Fagnan.* lib. 3. tit. de *consec. prae.* cap. *Nullam* 2. n. 69. & *segg.* ac Joan. Solier. in notis ad Infit. Canon. Lancellor. tit. 16. de *Condit.* §. 1. & *LXXX.* *Bened.* XIV. de *Synod. dice.* c. 10. n. 26. & *segg.*

V. Decretalis Honorij III. relata in cap. *Dilectus* 29. permittentis pluralitatem beneficiorum, abrogata est sess. 24. cap. 17. de *refor.* praecipiente, ut unum tantum conferatur, etiam si agatur de Cardinalibus S. R. E. permittente tamen, si unum non sit sufficiens ad vitae sustentationem, conferri posse aliud simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requiratur.

VI. Decretalis ejusdem relata in cap. *Capitulum* 30. admittentis expectativas, & mandata de providendo beneficia, abrogata est ut supra n. IV. una cum frequentibus usque ad n. XIII. idem admittentibus.

VII. Decretal. Greg. IX. relata in cap. *In nostra* 32.

VIII. Decretal. ejusdem relata in c. *Mandatam* 38.

IX. Decretal. ejusdem relata in c. *Litteris* 39.

X. Decretal. ejusdem relata in c. *Abbatem* 40.

*Eod. tit. in 6.*

XI. Decretal. Bonif. VIII. relata in cap. *Tibi* 12. & cap. *Si pro te* 13.

XII. Decretal. ejusdem relata in c. *Dubius* 14. Item abrogatum est c. *Litteras* 5. in *Clementin.* eod. tit. idem admittens.

*Tit. IV. De Consuetud. in 6.*

XIII. Decretal. ejusdem relata in c. *Cum in tua* 4.

*Tit. VI. De Electione.*

XIV. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Cum in* 7. statuentis §. *Inferiora* ad dignitates etiam non curatas requiri annum XXV. inchoatum, moderata est sess. 24. cap. 12. de *reform.* §. *Ad cetera* decernente sufficere annum XXII. completum quo ad dignitates, & personatus Cathedralium, quibus cura animarum nulli subest, Archidiaconatu excepto, qui expositis XXV. aetatis annis.

XV. Decretali Innoc. III. relata in cap. *Quia propter* 42. praescribentis electionem fieri debere vel per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem, derogatum est, quoad electionem Regularium utriusque sexus sess. 25. cap. 6. de *Regul.* praecipiente fieri per secreta suffragia sub poena nullitatis.

XVI. Decretalis Gregor. IX. relata cap. *Dudum* 54. statuentis §. *Cum nullus* posse retineri duo beneficia curata, unum scilicet in titulum, alterum in commendam, abrogata est sess. 7. cap. 4. de *refor.* prohibente retentionem duorum curatorum beneficiorum, vel alias incompatibilium, sive per viam unionis ad vitam, sive commende perpetuae contra dispositionem cap. *De unia de Praeb.* Prohibente insuper eadem sess. cap. 2. retentionem cum iisdem titulis plurium Metropolitanarum, seu Ecclesiarum cathedralium.

Eadem decretalis tribuens §. *Sed cum* facultatem Archidiacono visitandi Ecclesias sibi subiectas, moderata est ut infra n. XXXIII.

*Eod. Tit. in 6.*

XVII. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. *Indemnitate* 43. statuentis. 1. monialem non posse eligere abbatissam, nisi peregerit XII. aetatis annum, ac nisi